

ne cum sororibus suis alternis hymnos cecinisse, in literas relatum est. Rudolphi I. pietatem multis & invidendis elogiis depraedicant libri; quemadmodum etiam recentiorum temporum memoriae, religiosum animum dilaudant Marci Antonii Justiniani Venetorum Ducis, qui ad quemvis rei bene gestae nuncium, prolapsus in genua Hymnum Ambrosianum decantavit. De Elisabethae, Anglorum Reginae, de Augusti Electoris Saxonis, de aliorum Sanctissimorum Principum innocenti vita, ardentissimoque in DEUM & sanctum verbum ejus affectu & amore dicere jam super sedeo. Affirmare tamen possum illud, quod in optimis religiosissimisque Principibus eximium fuit, *in Pientissimo Prussorum Rege*, Summum & Eminentissimum esse. Tantam religionis perpurgatae, tantam facrorum puriorum curam gerit, ut non intra Ecclesiam Prusico-Marchicam modò, ejus vigilantia consistat, sed in universum Germanorum Protestantium coetum, ejus cura
Epi-